

117

(Pars IX (Ca XIII)

sunt ut sine horrore pia corda nec valeant legere nec audire unde et nos istorum memoria horrificum non tam breuitate perstringimus quam etiam fugimus et fugamus ne maiores infanie occasione demus insipientibus. Contra stigmata et impressiones multo euidentius dici possunt que contra caracteres et figuras diximus quia et ipsa expresse pretendunt ydolatriam. Ista enim in propriis corporibus et membris faciebant ydolatre propter quod euidenter cultores eius ydolatre ad quos in signa illa pertinebant eo ipso se profiterentur quemadmodum equi certo insignio cognoscuntur esse ungarici seu ungarici et falsarii deprehensi atque puniti certo signo apparent esse falsarii videlicet impressione apostolice bulle. Sic diabolicorum illorum caracterum et sigillorum impressionibus consignatos se cultui dyabolico atque additos ostendebant. Sicut iudei signaculo circumcisionis pacto abrahe et legi moysaice obstrictos se confiterentur et suscipiendo huiusmodi signaculum ad eadem se obligant obseruanda. Non igitur mirum si huiusmodi demoniorum ab ipsis per istas execrationes interdum obtinebant videlicet cum et ipsi demones poterant naturali virtute sua et permittebantur iustissima dei voluntate. Ex his igitur omnibus apparet iusticia diuine legis que omnia ista neplaria prohibuit utpote et humane generis pollutiones abominabilissimas et creatoris intollerabiles iniurias. Quemadmodum enim in christiano neplias est circumcidi sic et huiusmodi stigmatibus incidi et caracteribus imprimi et multo amplius videlicet quanto execratio ydolatrie detestabilior est quam ritus iudaicus.

(De ydolatria que est in verbis et nominibus et de virtute illorum (Ca XIII)

Septima pars ydolatrie sicut diximus in precedentiibus ydolatria est verborum et nominum quibus tanta virtutem imposuerunt malefici ut ipso audito homines et animalia occiderent et etiam inspectione figurarum seu literarum quibus scripta essent sicut dicebat iudeus ille maleficus qui sola insuffuratione quorundam verborum thauze visus est occidisse asserbat enim quia verba illa nec homo nec aliud animal audire poterat quin moreretur continuo. Nec etiam literas inspicere quibus verba illa scripta essent propter quod et necesse habuit ea discere per scripturam in aqua factam ubi protractio literarum sicut fiebat ita et abolebatur quoniam falsum autem istud sit et quam impossibile sit declarabimus paucis